

*Ab*

EXPERIMENTA QVAEDAM

CIRCA

# VENENA

---

SPECIMEN IN AVGVRALE

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRO

SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS

RITE CONSEQVENDIS

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMISSVM

AB

AVCTORE

GEORGIO CAROLO HILLEFELD

HAEMELSCHEBVRGA - HANNOVERANO

---

D. XVIII. SEPTEMBRIS MDCCCLX.

---

GOETTINGAE

LITTERIS HAGERIANIS.

HT006444569

ЛІБІДЬ

ЛІБІДЬ

ЛІБІДЬ

ЛІБІДЬ

ЛІБІДЬ

ЛІБІДЬ

ЛІБІДЬ

ЛІБІДЬ

VIRO ILLVSTRI, EXPERIENTISSIMO  
ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO  
**PAVLO GOTTLIEB**  
**WERLHOFIO**

MEDICINAE DOCTORI

AVGVSTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS  
CONSILIARIO AVLICO  
ATQVE ARCHIATRO

FAVTORI AETERNVM PIE VENERANDO

HOC SPECIMEN QVALECVNQVE  
EA QVA PAR EST ANIMI PIETATE

D. D. D.

GEORGIVS CAROLVS HILLEFELD.

ANNO MILLESIMI MCLXVII  
MAYNARDI

ATQ[UE] DECIMI

DOMINO

PALO GOTTLIEB  
SCHONHOF

CONSTITUTUS

ACADEMIA MACCABEANA

CONSTITUTA VENIDA

CONSTITUTA VOTUM

CONSTITUTA MINISTERIUM

CONSTITUTA PROPRIETATIS DOM

CONSTITUTA LIBERTATIS ET LIBERTATIS

CONSTITUTA

CONSTITUTA LIBERTATIS ET LIBERTATIS



SECTIO I.  
DE  
VENENIS NONNVLLIS E REGNO  
VEGETABILI.

CAP. I.  
DE  
*NVCE VOMIC A.*

§. I.  
EXPERIMENTVM I.

**C**uniculo juniori, sexus foeminini, pulueris Nucis Vomicae grana VIII. cum pauxillo lactis permixti, ad deglutitionem promouendam, infudi d. XII. Ian. hora antemeridiana vndeclima. Hora post meridiem prima vehementissimis conuulsionibus bestia corripiebatur, quae etiam primo horae minuto eam enecabant. Sequenti die cadauer aperui: Ventriculus erat extus & intus maculis atrorubentibus notatus, vasaque eius sanguinea atro sanguine distenta. Omnes hepatis lobi in superficie, quae ad

A ven-

ventriculum vergit, albidi erant coloris: Lien ut in statu sano: Intestina multo aere oppleta, ceteroquin sana: Vesica vrinaria valde distenta vrinaeque plena: Pectoris vasa sanguinea sanguine atro turgida. Cetera omnia ut in statu naturali.

#### EXPERIMENTVM II.

D. XVI. Ian. inter horam primam et secundam post meridiem Cuniculo minori pulueris Nucis Vomicae grana II. ex aqua exhibui. Paulo post brassicam quidissime deuorauit et nihil omnino mali passus est.

#### EXPERIMENTVM III.

Die sequenti hora post meridiem secunda eidem cuniculo dedi pulueris eiusdem grana III. ex vehiculo aquoso. Nihil inde patitur, deuorat, sed multa depositum excrementa.

#### EXPERIMENTVM IV.

D. XXI. Ian. circa horam pomeridianam secundam eidem animali huius veneni cum lacte permixti infudi gr. IV. Altero mane satis sanum vegetumque inuenio, multoties aluum depositum, magnamque oblate brassicae copiam deuorauit.

#### EXPERIMENTVM V.

D. XXVIII. Ian. eadem hora eidem cuniculo pulueris veneni eiusdem grana V. ex lacte dedi. Hora III. in vehementissimas incidit conuulsiones et statim enecatus est. Disfecto cadavere, praeter ea, quae in experimento primo notaui, vesicula fellea valde fuit disten-

distenta, materia tenui subrubella turgida. Ventriculum huius cadaueris cum omnibus suis contentis cani porrexii: Deuorauit omnia audissime, sed nihil omnino incommodi inde ei euenit.

## EXPERIMENTVM VI.

Die eiusdem mensis XXV. hora antemeridiana X. audita, feli iuueni foeminae pulueris Nucis Vomicae grana IV. cum aqua permixti, infudi inuitio. Statim spuma viscida in magna copia ex faucibus eius effluxit. Hora una cum dimidia post valde iam videbatur imbecillis, celerrime aegerrimeque respirabat, iuscum ei oblatum respuebat, et si famem fitimque pati videbatur. Hora post meridiem prima satis quidem tranquilla, admodum tamen imbecillis visa est. Elapsa adhuc hora dimidia, cum lac ei porrigerem, illico totum corpus valde tremere incepit, in latus sinistrum cecidit, pedibus antrorum tractis, ac terribili voce animal eiulauit. Tunc pauxillum lactis ei in os infudi, quo vires aliquantum restaurari videbantur, ita, vt pedibus anterioribus insistere potuerit, posterioribus autem nequaquam, qui nimis erant imbecilles, vt, si in pedes erigebam, statim iterum in latus procumberet. Saepe quasi terrore correpta subsiliit, semperque illico iterum in latus cecidit. In vehementissimas nunc incidit conuulsiones, quadrantem horae durantes, quo elapso auram efflauit. a)

Se-

a) Dum felis jam in eo esset, vt e vita vellet excedere, dum nullam fere sensationem habere videbatur, viuum ei porr

Sequenti die cultro anatomico animal subieci: Aper-  
tum abdomen intolerabilem spirabat foetorem. Ven-  
triculus valde distentus, aperto oesophago multum  
aeris elastici efflauit, indeque collapsus est. Superfi-  
cies eius interior in quibusdam locis maculis rubris  
erat obsessa. In contentis ventriculi frustula carnis  
bouinae, quae die ante venenum datum deglutuerat,  
erant adhuc immutata, praeterea massam quandam al-  
bam duriusculam, lacti coagulato similem, stramen et  
crines continebat. Intestina aere elastico plena. Co-  
lon excrementis duris oppletum. Vesica vrinaria ad  
crepaturam usque distenta vrinaque plena. Pulmones  
multis punctis albis fuerunt notati inque regione ve-  
ficeae felleae virides. Vesica fellea fere vacua. To-  
tum systema venosum et arteriosum atro sanguine  
turgida.

#### EXPERIMENTVM VII.

D. XXV. Martii hora X. vespertina, cani dome-  
stico b) hybrido masculo, robusto, VI. circiter annorum,  
pulueris Nucis Vomicae Scrupulum cum aqua  
infudi. Post dimidiam horam dorso pedibusque rigi-  
dis trepidus circumcurravit, hinc in latus concidit,  
pe-

rex murem, quo facto caput illico erigens pedemque ex-  
trahens murem arripere conabatur, sed vires nimis erant  
prostratae et statim interueniebat mors. Mirandus certe  
naturae instinctus !


b) Notandum est, me per totam dissertationem nomina speci-  
fica canum summissæ ex Linnaei System. Nat. Edit. X. quæ  
prodiit Holmiae 1758.

pedibus extensis tremens, vrinam emittens, linguamque exferens liuescentem. Ictus aegre resurrexit, denique in latus concidit, excitatus pedes currendo vix curuare compos. Stetit dein diu immobilis: Consedit hinc et post minutum conuulsus est aliquot momentis vehementer, pedibus rigidis. Denuo rigidus iacuit; hinc tremuit per interualla, pedibus extensis. Aliquoties anhelauit raucus. Lingua propendebat aperto ore. Mentis compos semper fuit. Rigidissimus toto corpore, hinc capite retracto iacuit, et copiose fluxit saliuia. Respiratio semper vehemens fuit. Sensus fere desit, pedibus distrahi impatiens, et tum tremebundus. Subinde conuellitur cum anhelitu. Hora XI. cum dimidia periit post continentiores conuulsiones et debiliores, statimque pulsante adhuc subinde corde rigiditas corporis desiit. Dissecto cadauerre sequentia notatu digna occurrere: Venae sub cute ubique sanguine atro et fluido plenissimae. In abdome vaia itidem turgida. Ventriculus intus totus inflammatione atro-rubens: Extra pylorum inflammatio nulla. Pulmones e cinereo rubentes, punctis nigricantibus; sinister circa angulum anticum medium macula quasi fugillata erat notatus. Hepar renesque sanissima. Cor sanguine fluido distentum. Vesica vrinaria vrina plenissima. Intestina intus fere ubique muco viscidio intense bilioso et flauo copiose obducta.

## EXPERIMENTVM VIII.

D. III. Maii hora vespertina VIII. cani domestico, masculo, vigenti, pulueris Nucis Vomicae Scrupulum ex aqua infudi. Statim inquiete habuit, et vix elapsis

A 3 tribus



tribus minutis primis quasi hemiplecticus cruribus poticis diuaricatis rigidisque vocatus incessit. Hinc subito in quatuor pedes rigide extensos insurrexit et quasi rabidus latus adfricauit parieti illudque variis vicibus toto corpore et capite impulit. Dein corruit in latus, iactans rigidus artus resurrexit denuo et altera vice procidit in latus, tumque periodice conuulsiones spasticas, rigiditatem spinae dorsi, pedum rigidorum iactationes interdumque totius corporis, cum immanni anhelitu, aestuante ore et lingua pendente, passus est, vrinamque copiose excreuit, caput resupinauit, et post summos membrorum rigores ac lentiorum respirationem, nondum horae quadrante elapso viuere desiit. Mortuo statim musculi et membra cuncta flaccescabant. Sectione plerasque venas sub cute turgidas, ventriculum pane plenissimum, intus ad fundum et arcus maioris tractum leuiter rubentem deprehendi: Duodenum extra pylorum rubrum: Vesicam vrinae semiplenam; sanguinem semigrumosum: Pulmonem dextrum, in quo latere decubuerat, sanguine effuso atro liuidum; finistrum posterius liuidis undis nebulosum. Reliqua in trunco erant sana, praeter vlcuscula antiqua renum et cystidem felleam semiplenam, lienemque liuescentem.

## §. II.

Nucem Vomicam, quae est fructus arboris cuiusdam in Malabaria et Ceylonia prouenientis, ab autoribus horti Malabarici Caniram,<sup>c)</sup> ab hodiernis autem

<sup>c)</sup> RHEED. *Hort. Malab.* I. p. 71. t. 37.

autem Botanicis Strychnos foliis ouatis, caule iner-  
 mi d) dictae, perniciossimum esse venenum satis  
 probant haec, et quae ab aliis instituta sunt experi-  
 mента, quae breuibus hoc loco repetere licebit: AN-  
 TONIVS DE HEYDE dedit cani Nuces Vomicas duas  
 concisas. Tremebundus fuit et inquietus. Stare non  
 potuit, pedes erant conuulsiui; mortui instar corruit,  
 tandemque de subito mortuus est. e) GESNERVS duos  
 canes a veneni huius drachma dimidia post obdor-  
 mitionem et conuulsiones enecatos vidit. f) MAT-  
 THAEVS SEVTTER cani foemellae Nuces Vomicas duas  
 concisas butyroque mixtas intrudit. Post dimidiā  
 horam rabidae instar hinc inde currere coepit, acce-  
 dente rigore et stupore pedum mortua quasi corruit.  
 Breui pedibus iterum erecta stare et circumcurrere  
 incepit: Nunc iterum quasi mortua decidit. Tandem  
 iterum excitata tertii paroxysmi inuasione cum diffi-  
 cili respiratione enecata fuit. Alteri cani masculo  
 duabus vicibus duas Nuces Vomicas integras, non  
 excoriatas aut concisas, deuorandas porrexit: Vnde  
 post difficilem respirationem, somnolentiam, tremo-  
 res, horrores et conuulsiones succubuit. Alii cani  
 masculo propinavit vnciam Essentiae Nucis Vomicae  
 spiritu vini simplici paratae, qui conuulsionibus, tre-  
 moribus, horroribus, torpore, rigore, respirandi  
 difficultate, cum leui spumescientia oris correptus,  
 intra semiquadrantem obiit. Denique alteri cani ma-  
 sculo

d) LINNAEI *System. Nat.* Edit. X. Tom. II. p. 935.

e) ANTON DE HEYDE *Observat.* 50.

f) vid. JOH. BAVHINI *Hist. plantar. uniuers.* L. III. Cap. 145.

sculo vnciam. Essentiae aqua pluiali factae eodem cum successu, excepta spumescientia oris, exhibuit. g) IEREM. LOSSIVS diuersis canibus, felibus, cornicibus et anatibus exhibuit, et sequentia phoenomena obseruavit, quae cum nostris egregie conueniunt: Di-midia circiter hora ab exhibitione anhelose primum respirant, mox redduntur torpidi et timidi, adeo, vt ad leuisimum quoque strepitum exhorrescant, vix progrederi audeant; rigidis, si impellas, quasi pedibus incedunt; tandem corripiuntur spasmo tetano totius corporis, idque per vices (saepe enim sese recolligunt) quousque extinguntur prorsus intra horae circiter spatium, citius tardiusue, pro natura doseos et subiecti diuersitate. Quodsi vi ad motum concitan-tur, venenum citius agit, in ipso vero motu instar stipitis derepente rigescunt, omni prorsus motu et sensu cessantibus. b) Addit Lossivs i) in paroxy-simo fortiori prorsus bruta nec videre, nec audire, nec tactu percipere, etiamsi diuersis partibus pungan-tur vel vulnerentur. Abscidit iis aures, caudas, sed sine omni doloris alicuius percepti indicio. Plurimi corripiuntur fortissimo tetano, obrigescunt toto cor-pore, aures et cauda extenduntur, venter infimus indurescit, adeo, vt vix ac ne vix flecti queant. In ali-quibus obseruantur motus conuulsui contractorii et dilatatorii, et mors praesto adest. Nonnulla quoque

admo-

g) MATTHAEI SEVTERI Disputat. inaug. de Nuc. Vom. Lugd. Bat. 1691. §. 13.

b) vid. Disp. de Nuc. Vomic. Vitemb. 1683. §. 15.

i) Disp. cit. §. 18.

admodum egregia cum hoc pharmaco instituit experientia IOH. IAC. WEPFERVS k) quae omnia vero hic enarrare superfluum videtur. In cane a Nuce Vomica breui tempore extineto stomachum et intestina ruberrima obseruauit W. COVRTEM. l)

## §. III.

Satis et sole clarius deleteria Nucis Vomicae vis ex hisce experimentis apparet. Fabula est, hanc Nucem tantummodo ea necare animalia, quae clausis oculis excluduntur, ut canes, feles, lupos, vulpes, cornices. Ex primo enim et quinto a me instituto experimento constat, cuniculos aequa facile ac canes inde iugulari; cuniculi autem oculis omnino apertis nascuntur. Et non desunt casus, vbi in ipsis hominibus Nux Vomica virtutem suam venenatam exseruit: Siquidem MATTHIOLVS experimentum habet de muliere Nuce Vomica enecata, et postmodum addit ipsa symptomata, quae inducit: Assumtam Nucem scilicet ab homine statim nausea, vomitus copiosus, sitis vehemens, alii fluxus immoderatus, pectoris angustia, subita virium prostratio, sudor frigidus, conuulsio, tandemque, nisi cito succurratur, mors sequitur. m) HOFFMANNVS autem refert, puellam X. annorum, cui ad pertinacem vincendam quartanam Nucis Vomicae grana XV. duabus vicibus propinata essent,

breui

k) vid. eius *Historiam Cicutae aquatica* Cap. XIII.

l) in *Philosophical Transactions*. n. 335.

m) *Commentar. in Dioscorid.* L. IV. Cap. 23.

breui post summis anxietatibus praecedentibus et ad vomendum conatibus esse extinctam. n) Et laudatus MATTHAEVS SEVTTER vidi foeminam Belgicam ab exhibita Nuce Vomica cum Gentianae radice scopo antifebrili, periculosis horrendisque conuulsionibus correptam, cum subsequente rigore et stupore ferme omnium partium. o) Nucem Vomicam homini exigua dosi conuulsiones inducere, ad drachmas duas vero vel tres certo esse lethalem, Celeberrimus HILL profitetur. p) Verum tamen nec exiguo pondere, imo nec maiori semper hominibus videtur nocere. SCHVLZIUS enim non solum memoriae prodidit, in minori dosi, ascendendo ad quindecim grana, innocue datam fuisse iuueni octodecim annorum, epilepsia chronica laboranti; q) sed et MONTINVS testatur, Lappones dimidiati Nucem concisam cum aqua vel spiritu frumenti contra colicam assumere non sine successu. r) Etiam GEORG. MELICHIUS nuces vomicas homini innoxias esse ostendit exemplis cum Turcarum, qui eas innoxie esitant, tum mulieris infamis, cui non parua copia porrecta, ut moreretur, sed superuixit. s) Et FALLOPIVS testatur, se locutum esse cum scholaribus Germanis, qui innocue assumserunt huius nucis scrupulum, vel duos, et quan-

n) FRID. HOFFMANNI *Medic. ration. systemat.* T. II. p. 175.

o) *Disput. cit. §. XI.*

p) JOHN HILL'S *History of the Materia Medica*, p. 505.

q) *Materia Medica*, p. 404.

r) *Disp. de Medicina Lapponum Lulensum.*

s) *Dispens. medic. ad elect. de aromat. Galen.*

quandoque vsque ad drachmam. *t*) Lossius quoque ipsemet in substantia et extracto toties ad granum vnum vel alterum degustauit; sed prorsus sine omni vel leuissima noxa. Nouit etiam amicum, qui integrum Nucem Vomicam deglutiuuit innoxie. *u*) Denique WEDELIVS refert, se fartorem empiricum nosse, qui non paucos tertianarios vsu nucis vomicae liberauit. *v*) Illud tamen apparere ex meis experimentis videtur, primo, bestias longe minorem dosin, ac homines, sustinere posse; deinde vero nec illis tantillo pondere esse venenatam (Exper. II. III. IV.) sed perinde ac omnia venena, si parcissima copia exhibeatur, non deleterium effectum, sed mitiorem edere. *x*) Quapropter iusto rigorosius censemus iudicium CASP. HOFFMANNI, qui de deleteria Nucis vomicae qualitate sic loquitur: *Est venenum, nec tantillum tribui iis, qui subsiliunt, canibus, felibus, lupis, vulpibus cet. potest esse venenum, homini non est: Ego nolim tam temerarium esse quenquam ut subito fidem det talibus experimentatoribus, si enim semel bene cessit, non ob id tutum est experimentum, neque desunt contrarii euentus.* *y*)

## §. IV.

*t*) *Tr. de tumor. p. n.*

*u*) *Disp. cit. §. 23.*


*v*) *Disp. de Venen. et Bezoart.*

*x*) vid. Optimi et pie Venerandi Praeceptoris mei, Excell. VOGELII *Histor. Mater. Med. p. 15. §. 46.*

*y*) *de Medicament. officin. Lib. II. C. 172. §. 150. p. 507.*

## §. IV.

Neque denique hoc reticere fas est, egregium obseruatorem LOSSIVM, quem supra laudaui, duas obseruationes adferre, quae a meis prorsus abhorrent, quarum altera effectum minorum dosum, altera vero phoenomena in sectione cadauerum nuce Vomica enecatorum concernit. Quod ad primum attinet, testatur ille, cum doses mutasset, a duobus granis ad drachmam et ultra ascendendo, minimam aequem ac summam dosin, feles alias tenaciter viuentes, iugulasse; quamuis a minori dosi diutius quodammodo superuixerint. z) Circa alterum momentum vero haec notauit: Cum canes et feles statim post intermissionem aperuisset, se nullam neque in ventriculo, neque in sanguine, neque alibi noxam manifeste conspexisse, nisi quod sanguis fluidior quodammodo visus fuerit, praecipue circa cor; etiam post diei ac noctis spatium ab extincione bruti. a)



CAP. II.  
DE  
*RADICE SCILLAE.*

## §. V.

## EXPERIMENTVM I.

D. IX. Febr. hora pomeridiana II. Cato vetulo porrexii lac, cui grana X. pulueris radicis Scillae admixta

z) *Disp. cit.* §. 17.

a) §. 19.

ta erant. Pauxillum huius misturae lambebat catus, sed illico vehementer clamabat, spuma pituitosa ex ore emanante, et reliquum lactis deglutire omnino recusabat. Die sequenti hora antemeridiana XI. cum dimidia, eidem animali exhibui eiusdem pulueris grana V. cum farina triticea et aqua in bolum redacti. Statim copia spumae pituitosae ex faucibus effluxit. Hora a meridie prima subitaneus et copiosus vomitus secutus est, parcior post semiquadrantem, sub clamoribus. Dein immobile stupidumque factum est. Hora II. circiter inter vomitum, alii deiectiones et iactationes corporis periit. De obiecto cibo nihil deuorauerat. Tunc cultro anatomico subieci et sequentia obseruaui: Intestina corrugata, forte ab inedia: Vesica vrinaria penitus contracta, ita, ut rugis in minimam molem connueret, vrina omnino vacua: Vasa venosa maiora omnia sanguine fluido atroque turgida: Ventriculus constrictus corrugatusque, versus pylorum vnico loco subinflammatus, intus muco subflauo spumoso obductus: Vesica fellea exigua subglobosa, duriuscula, extus alba, continens loco bilis mucum crassum ex fusco flauum et aliquantulum pituitae subflauae, ipsa variis locis intus subfulua: Ductus cystici anfractus primus obstructus valdeque extensus, massa fusca parietibus inhaerente; reliqua anfractus bilem tenuem continentibus.

## EXPERIMENTVM II.

D. X. Febr. tempore meridiano Cuniculo paruu-  
lo masculo, X. circiter hebdomadum, grana IV. Scil-  
lae, cum farina triticea in bolum redactae, intrus*ū*,

sed bolum huncce illico exspuit. D. XI. hora III. eidem cuniculo pulueris radicis Scillae grana III. cum lacte infudi, absque vlo effectu.

### EXPERIMENTVM III.

D. XII. Febr. hora pomeridiana II. animali eidem pulueris huius grana VI. cum simili vehiculo exhibui. Statim brassicam auide comedit et laete habuit, neque vllum symptoma perpeſſum est.

### EXPERIMENTVM IV.

D. XIV. Febr. post horam XI. eidem cuniculo ieiuno pulueris huius grana vltra XIX. cum lactis f. q. in pulticulam redacti dedi. Breui post vrinam copiosam emisit et foeces consistentiae solitae. Os pedibus et lingua purgauit laeteque habuit, vrinam suam etiam lambit auide. Quieuit postea. Oblatum panem minime appetiit. Hora post meridiem I. cum dimidia pedibus insistere nequivuit, auribusque arrectis attonito similis iacuit, subinde caput ad terram demittens; excitatus tremebundum circumreptauit, pedibus vix vti compos: Sub quiete saepius inhorruit, inquietusque viſus est, in primores pedes se erigere fruſtra tentans; hypochondriis et pectore valde anhelauit. Hinc quaſi catalepticus factus per aliquot minuta, auribus resupinatis pedem anticum sinistrum crebro mouens. Post minuti vnius quietem primo antrorsum ferri laborauit, dein posteriori corpore contraſto nisuſ ad vomendum validos edidit aliquamdiu, sed nullo vomitu fecuto. Hinc quieuit, clamorem dein breuem edidit, corpusque ad quietem compositum.

Ad

Ad dolores ceterum et strepitus sensibilis semper fuit. Diuturna hinc secuta quies, nisi quod locum subinde aegerrime mutaret. Hora II. cum dimidia in primores pedes insistere quasi potuit, posticos paralyticos trahens, quorum dexter a strictiori ligatura gangrenosus iam antea intumuerat, vegeto tamen animali. Post horae quadrantem brassicam oblatam appetiit et hora III. comedere non segniter coepit, eoque statu mansit usque ad tertium diem, tum nihil superfuit morbi, nisi pedum impotentia et gangrenosae tibiae catalepsis. Toto eo tempore a Scilla neque purgatorius, neque emeticus, neque adeo diuretius effectus apparuit. D. XVI. tempore vespertino, sensim imbecillior factus tandem mortuus est, pedem tendinibus rigidum, tarsum digitosque subgangrenosos ostendens. Vesica urinaria erat urinae plena. Ventriculus mucum tenuem, fuscum, parcum continuit. Passim areolae fuscoatrae, eschara in foueola erosa latente, qua remota fundus liuido-ruber apparebat. Intestina tenuia mucum pellucidum subfuscum, crassa foeces copiosas coercebant. Bilis tenuis, rubicunda. Hepatis substantia meliceridibus numerosis obsessa. Ventriculus cordis minor sanguine coagulato et massa lardosa, exteriorem parietem crasso strato obducente, oppletus; alter vero et auriculae sanguinem tantum condensatum continebat.

#### EXPERIMENTVM V.

D. XII. Febr. hora pomeridiana secunda Canis graio, iuueni exhibui pulueris radicis Scillae scrupulum dimidium, in binis prunis coctis, pereuntibus sub



sub intrusione aliquot granis. Statim copiose salivare coepit, postque horam dimidiam pituitam cum contentis ventriculi euomuit, prunumque vnum integrum, haerente in eo fere omni indito puluere. Hinc aliquoties adhuc spumosum flauumque liquorem excusit vomitu, vsque versus horam IV. Tunc demum carnem appetiit, posteaque nihil mali sensit.

#### EXPERIMENTVM VI.

D. XV. Febr. tempore meridiano cuniculo adulteri, sexus foeminini, grana XIX. pulueris radicis Scillae, cum pauxillo laetis permixti, infudimus. Obambulauit, statim quieuit, sine signo effectus cuiusdam subiti. Hora prima brassicam copiose deuorauit. Versus horam IV. copiosam vrinam misit, quarta vero audit a pedibus insistere amplius imposuit, et attonitus iacuit cibumque recusauit. Aluum nondum depositus. Hora V. cramben oblatam impigre roxit. Hinc denuo pedibus satis bene vti visus est, et dehinc nihil mali sensit.

#### EXPERIMENTVM VII.

D. XXV. Febr. hora IV. pomeridiana feli foeminae vetulae pulueris radicis Scillae fere scrupulum cum aqua infudi inuito. Paulo post ter quaterue vomuit. Hinc quasi stupefacta in uno fere semper loco se continuit, ab omni cibo, carne et iuscule carnium, omnino abstinenſ. In hoc statu manebat usque ad diem huius mensis XXVIII, quo die, imbecillior sensim facta, hora pomeridiana III. cum dimidia placide extincta est. Corpus eius die sequente aperui:  
Vesica

Vesica urinaria et intestina valde erant corrugata, ceteroquin sana: Ventriculus corrugatus spuma ex flava viridi et aere oppletus, in nonnullis locis leuiter inflammatus, stigmatibus gangraenosis inustis: Vasa sanguinea et cordis ventriculi sanguine atro turgescabant. Reliqua apparebant integra.

## §. VI.

Scillae radicem, quae tantam sibi in Medicina acquisiuit gloriam, omnis venenositatis non esse expertem, haec a me instituta experimenta satis probare mihi videntur: Et prisci iam dudum aeui medici, HIPPOCRATES, GALENVS, DIOSCORIDES, CELSVS, CAELIUS AVRELIANVS, ob vim acrem ac feruentem nunquam eam solam, neque sine correctione in usum vocarunt, correctamque non intus in substantia, nisi aceto fere tantum infusam, aut vino vel aquae mulsa, exhibere ausi sunt. Arabes etiam Medici suspectam ipsam habuerunt, vt ex AVICENNAE testimonio apparere potest, quod ita habet: *Quandoque accidit ex acceptione eius, et ex multo usu eius, quae bona est etiam, exulceratio intestinorum et viarum hepatis, et antecedunt eam punctura et incisio. b)* Inter recentiores IOH. DAN. GEIERVS de radice Scillae haec habet: *Insignem Scillae effectum in venenis nouimus, at-tamen mirum, eam quoque insignem malignitatem in se continere, ideo communiter pani includitur furnoque calefacto imponitur ac ita ad benigniorem usum praepar-*

b) L. IV. Fen. VI. Tr. I. Cap. 22. p. m. 493.

*paratur: Accedit vero, ut panis micas, quibus Scilla erat inclusa, Meleagridi edendas proicerem, borulae spatio vix praeterlapso titubare alasque pandere, conuelli, tumultuari, nec granulum bordei assumere, usque dum plane visum amittet, nodis duris in pedibus erumpentibus.* c) Narrauit mihi quoque Excellentissimus VOGELIUS, olim in pharmacopolio quodam tres porcos fuisse eiusmodi pane oblato intra paucas horas interfectos, ac in singulorum ventriculis gangraenae vestigia permulta apparuisse.

## CAP. III.

DE

### AMYGDALIS AMARIS. d)

§. VII.

#### EXPERIMENTVM I.

D. XV. Febr. paulo ante horam XI. Cani vertago masculo duorum circiter annorum, Amygdalas amaras tres cum lacte contritas infudimus invito. Paulo post aquam audiissime haufit. Hora XII. cum dimidia lentes et carnem impigre deuorauit et aquam haufit.

e) vid. Ephemerid. N. C. Dec. II. Ann. VIII. Obs. 138. p. 298.

d) Sunt fructus Amygdali foliis petiolatis, ferraturis infimis glandulosis, floribus sessilibus geminis. LINN. Syst. Nat. Edit. X. T. II. p. 1056.

hausit. Hora I. cum quadrante iterum dedi Amygdalas amaras quinque, cum lacte tritas. Vix horae quadrante praeterlapso, cum ei crustam lardi porrigerem, vomuit et carnem deuorare recusauit. Hora IV. tranquillus iacuit, nihil cibi accipiens. Post horam VI. aquam hausit, carnem vero respuit. Hora IX. tandem cibum assumsit, et porro nihil mali passus est.

### EXPERIMENTVM II.

Die eodem, hora pomeridiana II, Cuniculo mari, trium circiter mensium, Amygdalas amaras duas cum dimidia, cum lacte tritas, infudi. Hora IV. brassicam deuorauit et admodum alacris vegetusque obambulauit, in posterum quoque nihil incommodi sentire visus.

### §. VIII.

Amygdalas amaras quibusdam animalibus esse lethales, multis obseruationibus est comprobatum. WEPFERVS ex vnica drachma columbum enecatum vidit, et ex eadem dosi felem; alia autem felis tres vncias et canis quinque sine lethali effectu acceperunt. e) Vnde hi diuersi euentus? Sciurum amygdalis periisse IAENISIVS vidit: Gallinasque septem ex magmate residuo post expressionem olei gressu vacillante tanquam temulentas incedere, caput et collum torquere, in terram pectore procumbere, pedes explicare,

e) *Lib. cit. Cap. XIX.*

plicare, mox denique mori. f) Duas passeretes Canarienses Amygdalis amaris et quidem in parua quantitate deuoratis in momento et quasi fulmine tactas expirare vidit GEORG. TOB. DÜRRIVS. g) Psittacis quoque amygdalas amaras lethales esse, imo amygdalas dulces aliquando psittaco mortem intulisse, obseruatum est. b) Amygdalis amaris praesumtis ebrietatem non sentire dicitur; i) sed in nonnullis non abarcere, sed accelerare potius ebrietatem, imo nauseam, cardialgiam, vomitus, colicam aliaque grauiora excitare Symptoma, STENZELIVS obseruauit. k)



## CAP. IV. DE SEMINE STAPHIS-AGRIAЕ. I)

### §. IX. EXPERIMENTVM I.

D. XVII. Febr. hora pomeridiana II. Cani graio, iejuno, infudimus Seminis Staphis-agriae concisi et cum

f) Ephem. N. C. D. I. A. VIII. Obs. 99.

g) Ephem. N. C. D. III. A. I. Obs. 156.

b) Ephem. N. C. Append. ad Cent. I et II. p. 194.

i) PLINII Hist. Mund. Lib. XXIII. Cap. VIII.

k) diff. de anod. virtute Venen. p. 35.

l) Est Delphinium nectariis diphyllis petalo brevioribus, foliis palmatis, lobis obtusis. LINN. Syst. Nat. Edit. X. T. II. p. 1080.

cum aqua mixti scrupulos quinque. Post horae quadrantem vomendi conatus conuulsuos aliquot habuit, qui inhibitи fuere. Dein in terram decubuit et neque caput, aut vix saltem, aegerrimeque corpus in pedes erigere potuit; aquam recusauit; in terram decubuit tremebundus. Voce priuatus erat acuque punctus strepitum faucibus edebat. Iaciens data in os bina assae carnis frusta aegerrime vix manducauit et totius corporis nisu deglutivit, an vsque in ventriculum? Hinc conuulsus est cum deglutiendi nisibus, semper in latere decumbens; vrinam misit paucissimam. Lingua ex ore paralytica in terram propendebat. Elatus in pedes statim in latus concidit. Post aliquot plura minuta prima primo foeces, hinc vrinam copiosam, sine imperio vt videbatur, amisit. Immotus fere iacuit, singultiens subinde, pedesque mouens debilissime, omnibus flaccidis: Breui post ad omnis generis tormenta insensibilis. Post duo vel tria minuta pulsus cordis, antea adhuc satis vegetus, cessauit, adeoque animal sine grauiori spasmo obdormiuit, nondum elapsis tribus horae quadrantibus. Dissecto cadasuere haec adnotauit: Lingua erat liuescens: Ventriculus inflatus, ad fundum extus inflammatione rubens: Vasa mesenterii et intestinorum sanguine plena: Intestina extus sana; rectum foecibus plenum; ileon fluidioribus: Intestina tenuia interne passim neque rara stigmata areaque inflammatorias ostendebant. In ieungi medio lumbrici postero mane adhuc viuentes et seminis staphisagiae passim frusta muco et pituita inuoluta visebantur: Inflammatio villosae vndulata: Inflammatio in summa parte ieungi vehementissima, ita vt tota superficies

ficies saturate atroque ruberet: Ventriculi maxima cavitas seminibus staphis-agriae cum muco virescente paucō, fundus vero aliquot panis frustis erat repletus; a cardia et fundo versus pylorum constrictum et duodenum tota superficies inflammatione ex liido rubens: Vasa omnia sanguine atro plena: Renes sani: Cystis subinflammata; bilis flauo-sanguinea, tenuis: Pulmo dexter, cui lateri incubuerat moriens, atro sanguine erat suffusus penitusque collapsus et maculosus; alter vero aperto pectore distentus minusque maculosus: Pericardium tenuissimum: Mucro cordis dextrorum subinflammatus: In auriculis sanguis paucus, coagulatus, neque nimium copiosus in ventriculis et valde condensatus.

### §. X.

A nemine, quantum scio, cum hoc semine experimenta hucusque facta sunt, et mihi tanta seminis recentis copia non aderat, ut plura instituere potuisse; sed hocce vnicum tamen de venenositate eius satistestari credo. Purgante equidem virtute pollere, sed ob acrimoniam inflammatoriam tuto non exhiberi, refert Excellentissimus VOGEL. m) Et ne externe quidem tuto hoc semine vti licere, testatur SCHVLZIVS, siquidem inquit: *Sunt, qui in odontalgia denti patienti iubent imponere. Feci aliquando in me ipso periculum, sed tanta mali exacerbatio infecuta fuit, ut vix mei compos manerem.* n)

### CAP.

m) Lib. cit. p. 185.

n) Io. HENR. SCHVLZII Mat. med. p. 435.

CAP. V.  
DE  
*NAPELLO.* o)

§. XI.

EXPERIMENTVM I.

D. XVII. Febr. hora XI. cum dimidia Cani venatico, iuniori, masculo, ieuno, infudimus radicis Nappelli, antecedente die e terra effossae, derasae, et cum pauxillo aquae permixtae, drachmam. Post horae quadrantem panis aliquot frusta deuorauit et eo vsque laete habuit, sed inquietus fuit et subinde inhorruit. Tristis hinc factus, hora XII. cum dimidia vomuit ventriculi contenta, fusco colore a pane et Napello tincta, copiosa. Brevi post iterum vomuit liquorem fuscum, non spumosum, pituitosum, postque eum carnis frustum oblatum auide assumxit. Inter horam primam et secundam iterum vomuit et reiecta vomitu iterum deglutivuit. Hora II. eiusdem diei cani huic iterum intrudimus eiusdem radicis simili modo paratae, drachmas duas. Post horae quadrantem vomuit. Hinc saepe aliquot minutis elapsis in conatu turbatus, conuelli coepit, vomendique conatus cum grauissimis artuum contracturis, anticis pedibus in nucham complicatis, concidens inque terra se horrendis modis volutans, exseruit, postque conuulsiones erectus et sedens vacillauit semel, hinc vomuit. Repetierunt

con-

o) Est Aconitum foliorum lacinii linearibus, superne latioribus, linea exaratis, LINN. *Syst. Nat. Ed. X. T. II. p. 1030.*

conuulsiones sensim leuiores, pedemque plerumque dextrum canis in os intrudebat, quaternis per interualla pedibus insistens. Aquam horruit, momentoque in latus collapsus iacuit. Remiserunt hinc sensim symptomata, et altero die pristinam sanitatem omnino recuperauit.

### §. XII.

Plura de hoc veneno capere experimenta superfluum duxi, cum eius deleteriae vires omnibus notae experimentisque satis comprobatae existant; quorum nonnulla hic subiecte liceat: Cani radicis Napelli siccae grana XV. cum iusculo et carne propinata sunt, Statim gulæ strangulatione comprehensus est, inquietus fuit, lipothymia quasi comprehensus, secutis maximis vomituritionibus vomituque iterato copiosissimo; post horam cessauerunt symptomata. Caniculo Napelli drachma diuturniora, sed eadem fere symptomata excitauit. Singulares in utroque fuere gemitus interrupti, neque ab alio veneno obseruati. Napelli herba tota recenter contusa et ad unciam cani data non magis inquierravit eum, quam gramen comedistum. p) Incomparabilis WEPFERI de hoc veneno experimenta hic repetere non Iubet. q) Hominibus aequo ac ceteris animalibus hanc plantam esse lethalem,

p) W. COVRDEN in *Phil. Transactions.* n. 335.

Vltimum hoc COVRDENII experimentum herbam Napelli virulentiae expertem declarare videtur, sed locupletissima de eius vi deleteria testimonia aliorum extant.

q) vid. *Hist. Cicut. Aquat. Cap. XI.*

lem, tristis saepe experientia docuit. MATTHIOLVS refert, Pragae latroni suspendio damnato datam esse radicis Napelli drachmam vnam, et post sesquihoram aliud pharmacum ex Napelli caule, foliis, floribus et semine paratum. Tertia dehinc elapsa hora de vniuersi corporis lassitudine ulcerosa, imbecillitate magna et cordis grauedine conquerebatur. Audacter loquebatur et viuidis Matthiolum intuebatur oculis, frigido tamen sudore madere frons coepit, et pulsus iam fere obdormiscebatur. Antidotum tunc propinabatur, quo epoto illico inuersis oculis atque ore in latus distracto, capiteque in scapulas rigente, ingenti admodum animi deliquio correptus est. Vino nunc irrorabatur facies, quo statim reuixit, emissis interim per sedem excrementis. Tunc de frigore conquerens paulo post putrida, biliosa et liuida quaedam vomitu reiecit, quo se non parum adiutum fassus est. Interim se ad sinistrum conuertit latus, ac si dormire vellet et nullo alio exorto symptomate tandem obtumuit et obiit simul, liuida facta facie, ac si laqueo fuisse suspensus. r). Vir quidam in acetariis accepit herbam Napelli. Initio statim calorem aliquem sensit serpentinum, qui linguam non solum, sed maxillas etiam afficiebat, ita, vt dentes ipsi vacillare viderentur, genae insimul eum in modum irritabantur, vt adstantes non solum, sed speculum etiam loquerentur, faciem illius ad duplum intumuisse. Calor ille serpens extendebatur sensim sensimque, donec omne illius corpus, spectatim

r) P. ANDR. MATTHIOLI *Comment. in Dioscorid. Lib. IV.*  
Cap. 73.

ciatim vero eiusdem extremitates, occupasset. Praeter haec articuli illius, praesertim circa genua, nec non malleolos relaxabantur. Tendines subfiliebant, ita, ut difficulter per cameram deambularet, ipseque crederet, se sentire aliquam motus sanguinis circularis in omnibus membris retardationem, et a carpis ad digitos manuum, a malleolis vero ad digitos pedum, eiusdem totam cessationem. Nulli tamen prius, quam oleum assumserat, aderant simul vomendi conatus. Post haec caput afficiebatur vertigine, oculi obscurabantur oberrabantque, in auribus vero continuum surdumque percipiebat sonum, quem animi deliquia sequebantur. *s)* Multa et miranda symptomata exorta ab hac radice in acetariis sumta obseruavit et descripsit VINCENT. BACON. *t)* Napellum apud Polonus innoxium esse vult BERNHARDVS A BERNIZ. *u)* Sed negat id et contrarium obseruationibus demonstrat IOH. PETERSONIVS AB HAIN. *v)* In Suecia quoque lethale venenum esse, hominibus, narrat IOH. NORAEVS, *w)* itemque capris, ouibus & vaccis obseruavit IOH. MORAEVS. *x)* Ita tamen pestifera, ac nonnulli volunt, haec planta reuera non est. Merae sunt nugae, quod PLINIVS narrat, tactis genitalibus

foe-

*s)* Commerc. litterar. Noric. Ann. 1738. p. 376.

*t)* Transact. Philos. traduit par Bremond Ann. 1734. p. 92. seq.

*u)* E. N. C. Dec. I. Ann. II. Obs. 41.

*v)* E. N. C. Dec. I. A. III. Obs. 223.

*w)* vid. d. Schwed. Acad. d. Wissenschaften Abhandl. 1. Band. p. 48.

*x)* eben dieser Abhandl. 7. Band. p. 219.

foeminini sexus animalium eodem die inferre mortem. y) Nec multo proprius a veritate abesse videtur, quod PAVLVS DE SORBAIT refert, sibi aliquando Nappellum manu gestanti annulum cum lapide Turcico in plurimas partes fuisse disruptum. z)

\*\*\*\*\*

**CAP. VI.**  
DE  
**GVMMI GVTTA. a)**  
§. XIII.  
EXPERIMENTVM I.

**D.** XVIII. Febr. hora XI. Cuniculo, cui d. XVI. auripigmenti grana X. sine effectu data erant, infudi Gummi guttae grana XVIII. in f. q. aquae soluta. Post horae quadrantem excrementa liquida, pallido-flava, exoneravit. Hora I. vrinam emisit claram. Brassicam haud appetiit. Sopor stertorosus ab hora prima, stertore aegre interrupto, vsque in noctem continuauit, et versus matutinum tempus periisse vi-sus est, repertus in dextro latere procumbens com-pressis pedibus. Ventriculus brassica deuorata erat plenissimus, cuius glomeri villosa sequebatur, a reli-quis

y) Hist. Mund. Lib. XXVII. Cap. II.

z) Vniuers. Medic. Append. de Venen. p. 556.

a) Est succus arboris in Horto Malab. I. p. 41. t. 24. Coddam-pulli, ab Ill. Linnaeo Cambogia dictae.

quis tunicis seiuncta. Inflammatio passim levissima erat. In intestinis inueniebatur chymus cinereo-flavescens: Tenuia intus erant inflammata: Bilis fusco-rubicunda, tenuis, copiosa: Hepar atro-rubens: Pulmones sani: In cordis ventriculis et auriculis sanguis paucissimus fluidus inhaerebat.

#### §. XIV.

Gummi Gutta minime tutum praebere medicamentum, ex hocce apparet experimento, et non minus ex hac obseruatione: Barbiton for temerarius viro cuidam dedit Gummi Guttae non correcti drachmam. Sequebantur purgationes sursum deorsumque ineffabiles, lipothymiae horrendae & sexcenta alia mala. Ipse quidem aegrotus e faucibus orci aegre tandem retractus, vitam traxit misere, donec breui post excederet. b)



### CAP. VII. DE COLOCYNTHIDE. c)

#### §. XV.

#### EXPERIMENTVM I.

D. XIX. Febr. hora post meridiem II. Cani moloso, adulto, feminis Colocynthidis concisi scrupulum cum

b) CHRIST. FRANC. PAVILLINI in E. N. C. Dec. I. A. VIII. p. 139.

c) Est Cucumis foliis multifidis, pomis globosis glabris. LINN.  
Syst. Nat. Ed. X. T. II. p. 1279.

cum aqua infudimus. Nihil mali inde passus est, et ne purgauit quidem.

### §. XVI.

Semina, quae cani huic propinaueram, ut iam dixi, haud erant puluerisata, sed concisa tantum. Et haec forte fuit causa, quod canis eodem die inde non purgauerit: Sequentे enim die, quo Mercurii prae-cip. albi scrupuli duo eidem dati erant, in horrenda copia liquidam, fusce coloratam, deposuit aluum, se-mi colocynthidis tunc demum operanti, ex parte saltēm, ni fallor, tribuendam. Semen hocce a non-nullis quidem tanquam virtutis expers reiicitur, at virtutem similiter purgantem continere, W E D E L I V S testatur. d)

### §. XVII.

Colocynthidis usum horrenda, imo lethalia sae-pe excitare symptomata, experientia docuit. Iuuenis quidam Colocynthidis pomum contusum degluti-uit. Post eius usum non tantum ineffabilis ventris cruciatus, verum etiam dysenteria, talesque artuum superuenere contractiones, ut echinum referret. Vir quidam tardi ventris trium colocynthidis pomorum decoctum bibit, quod tanta ipsi excitauit tormenta, ut ille, apertis vasorum sanguiferorum ostioliis, propter ingentem sanguinis fluxum breui vitam cum morte commutasset, ni, immisso in os et inferiora oleo illi-co remedii vim corrosiuam refraenasset. Robustus homo,

d) Amoenitat. Mat. med. p. 150.

homo, cui enemate vnica drachma colocynthidis fuerat usurpata, non diu superuixit; cui post mortem aliquot deinde horis, sanguis per sedem effluxit. Medicus quidam iunior principi cuidam pilulas purgantes exhibuit, quae cum non operarentur, sequenti die rursus similes propinavit, illisque, ut validiores essent, pulpam colocynthidis obiter puluerisatam commiscuit. Quarum vsu princeps, propter infinitas diectiones easque cruentas, tormentibus maximis excruciat. Quidam aliis se purgare volens, vinum, in quo colocynthidis pomum per noctem maceratum erat, bibere solebat, quod licet sine noxa saepe fecisset, tandem lethalem inde contraxit dysenteriam. e)



## CAP. VIII.

DE

### *SEMINE CATAPVTIAE MAIORIS. f)*

§. XVIII.

#### EXPERIMENTVM I.

D. XXV. Febr. hora pomeridiana V. feli foeminae iuueni seminis Cataputiae maioris minutim concisi

e) Has obseruationes ex variis auctoribus collectas legimus in  
ERN. ANTON. NICOLAI *System. Mat. Med. P. II. Lib. I.*  
*Seft. I. Cap. VII. p. 44.*

f) Est Ricinus foliis peltatis subpalmatis serratis. LINN. *Syst. Nat. Ed. X. p. 1276,*

cisi scrupulum cum aqua infudi. Nihil omnino inde passa est.

### EXPERIMENTVM II.

D. XIII. Mart. Cani extrario, hora pomeridiana V, infudi feminis eiusdem puluerisati drachmam vnam et dimidiā. Panem deuorare recusauit. Sequenti nocte subuiscida spumosa aliquoties euomuit et aluum liquidiore depositum. Altero mane hora VII. tristis iacuit et omnes cibos respuit. In eodem statu fuit hora IX. Post meridiem vorauit et pristinam penitus recuperauit sanitatem.

### §. XIX.

Cum eiusmodi pharmaca, quia raro in usum veniunt, plerumque in pharmacopoliis valde vetusta fieri solent, ex his experimentis aliquid concludere non audeo.

## CAP. IX.

DE

### CAMPHORA g)

### §. XX.

### EXPERIMENTVM I.

D. XXV. Febr. hora pomeridiana III. Cuniculo masculo, trium circiter mensium, cum aqua infudi

Cam-

- g) Est resina arboris Iaponiae incolae, Laurus foliis triplinerviis lanceolato-ouatis, dictae. LINN, *Syst. Nat.* T. II. p. 1010.

**Camphorae grana X.** Nihil inde incommodi sentire visus est, et iam post duas horas oblatam brassicam et panem auide deuorauit.

### EXPERIMENTVM II.

D. I. Mart. hora matutina X. eidem cuniculo iterum huius pharmaci grana XVI. cum Saccharo contrita ex aqua infudi. Statim post adsumptionem celerrime respirauit, cibum respuit, tristis et quasi dormitus vno loco se tenuit. Paulo post p[re]fati, ut videbatur, pedes suos naresque lambit. Sequenti die omnino restitutus est.

### §. XXI.

Plura circa Camphoram capere experimenta, superfluum fore existimauit, quia in sufficienti copia in *Commentariis Bononiensibus* occurruunt: Experimentator omnis generis animalibus camphoram intrudit, quorum aliqua sopore blandissimo, quaedam profundo somno corripiebantur: Alia furore rapiebantur, alia quasi temulentia: Quibusdam mouebatur siue vomitus, siue alui deiectio, siue vrinae profluuium: Quibusdam singultus et praecordiorum anxietates: Quaedam mira neruorum distentione et epilepsia afficiebantur: Quaedam etiam interibant. Passerulo grana III. mortem intulerunt: Coturnici grana V. Columbo grana X. Pullo grana XXIV. Gallinae grana XXXVI. Gallo gallinaceo grana LXXII. Feli grana XX. Ranae granum unicum. In quorum gulam camphorae fragmentum intrusum fuit, id in horum stomacho vel minime, vel vix quidquam pondere im-

minu-

minutum inueniebatur. Cibus, qui pridie, quam camphora, datus erat, in plerorumque stomacho propriodem indigestus et integer fuit repertus, quanquam eadem quandoque unum, quandoque duos pluresque dies vixerunt. Quae animalia vel profundo somno obruta, vel neruorum distentionibus diu vexata fuerunt, eadem haec meningum maiorumque cordis vasorum, pulmonum item atque intestinorum inflammatione occubuerent. Fuit quoque bilis in istorum tenuia vasa vbertim effusa. Cruor in quibusdam dissectis vasis fluxit mellis spissitudine, in quibusdam contra fuit pene concretus. b) Idem auctor ampullis vitreis infecta varia inclusit cum frustulo camphorae, et hoc modo vespas, muscas, pulices, culices, scorpiones, cimices, pediculos, formicas, araneas, cet. necauit. i) Camphoram, puerperis ad lochia promouenda datam, deliria phrenitica excitaſſe obſeruauit ALBERTI. k) Obſeruante BORELLO, mulier quaedam, cum ſaepe camphorae pyxidi infediffet, abortum paſſa eſt. l)

b) Commentar. Bononiens. T. IV. p. 199. seq.

i) T. III. p. 312. seq.

k) Diff. de Camphorae circumſpecto uſu. p. 23.

l) vid. GEORG. WOLFG. WEDELII Diff. de Camphora. p. 34.

## CAP. X.

DE

*COCCVLIS INDIS, m)*

§. XXII.

## EXPERIMENTVM I.

**D.** XIII. Mart. hora V. pomeridiana Cani extrario iuueni, maiori, Coccularum Indorum grosso modo puluerisatorum scrupulos duos ex aqua infudi inuitio. Paulo post duabus vicibus massam albida subuiscidam euomuit. Horae quadrante adhuc praeterlapso iterum euomuit subuiscida, spumosa, alba, eodemque tempore alium consistentiae liquidioris depositus. Eiulauit saepe. Altero mane satis laete habuit panemque impigre deuorauit.

## EXPERIMENTVM II.

**D.** XIV. Mart. hora pomeridiana V. eidem cani veneni eiusdem puluerisati, reiecto cortice, scrupulos duos et grana XVI. infudi. Praeterlapso vix quadrante horae vehementissimis corripiebatur conuulsionibus, quae illis a Nuce vomica productis fere similes erant. Quadrante dimidio vix praeterlapso enecatus est, prostratus in sinistrum latus, lingua exserta. Ventriculus erat corrugatus, pane, spuma et coccus

m) Sunt semina plantae Malabaricae, in horto Malabarico (VII. t. I. f. I.) Natfiatam, ab III LINNAEO (*Syst. Nat.* p. 992.) Menispermum foliis cordatis retusis mucronatis, dictae.

cocculis plenus, ac in fundo leuiter inflammatus. Vesica vrinaria vrina distenta : Pulmones inflati ; finister variegatus : Cordis ventriculi sanguine atro fluido turgidi. Reliqua omnia quidem erant ut in statu naturali.

### EXPERIMENTVM III.

D. IV. Aprilis hora pomeridiana IV, Cani ex sagaci et vertago hybrido, sexus foeminini, pulueris Coccularum Indorum scrupulos duos cum aqua propinaui. Vrinam misit sub exhibitione pauloque postea, tumque vomituriit, simul prohibitus excernere materiam, praeter pauxillum albidae spumae. Secuti sunt ad excernendam aluum fere frustanei nisus, itidemque haud diu post ad vomendum, quibus spumam copiosam, Coccularum puluere infuscatam, violento nisu excreuit. Perpetuus hinc ad aluum et vomitum instinctus, tandemque et duras foeces ano, et spumam summopere viscidam ore eliminavit, quae copiose e faucibus pependit. Inter haec semper sedit contracto corpore. Et nunc quieuit, cibum animalium recusans, etiamque postridie mane ab esca abstinuit praebita. Pomeridie demum panem auide deuorauit. Quum die VI. et VII. Apr. postea omni industria maiorem dosin infundere frustra tentatum esset, fune pharyngem pertinaciter obstringente vi occisus est, atque dissecitus. Praeter vterum grauidum et ventriculum ad fundum leuiter inflamatum et coccularum eodem die infusorum vix quicquam continentem, nihil a vulgari statu alienum est repertum.

\*\*\* \* \*\*\*


**EXPERIMENTVM IV.**

Die ultimo Apr. hora vespertina VIII. Cani extrario, annoso, pulueris Coccularum drachmam in pultem redactam infudimus. Statim tussit et pleraque gemino vomitu eiecit. Postea tussiculose et querule respirauit et inquietus fuit; vehementius versus noctem totaque nocte. Mane aeger quiescebat.

**EXPERIMENTVM V.**

D. I. Maii, hora matutina X. denuo eiusdem pulueris drachmam dedimus ipsi ex aqua. Statim ad vomitum inclinavit, eoque quantum fieri poterat, inhibito aliquamdiu tremebundus modo sedit, modo stetit, tussiculose respirans, ructus deuorans osque et pedes lingens quasi sitibundus. Hora XI. vomuit copiose non spumosa, violento impetu. Secuti statim crebri ructus cum salivatione copiosa, intercedente quinques vomitu, quo primo fuscum, dein niueam, spumam non parce eructauit; hypochondriis pulsantibus inter haec. Post horam XI. quiescens denuo vomuit, tumque obdormiuit. Meridie carnis oblata frusta assumit, sed uno loco quieuit usque ad vesperam. Versus horam vespertinam VI. aequalem prioribus dosin simili modo intrudimus, quae primum vix ructus excitauit, secuto quietis interuallo usque ad horam VII. cum dimidia, tum magnam liquoris gastrici copiam, puluere exhibito tincti, eructauit minimo nisu, posteaque sine notabili symptomate quietuit. Nocte inquietus fuit. Altero mane laete habuit,

EXPE-



## EXPERIMENTVM VI.

D. II. Maii, tempore meridiano, coccularum recenter contritorum, electo rudiori cortice, drachmam vnam et dimidiā eidem dedi. Post horae quadrantem vomuit. Intervomendi conatus strangulatus est. In cadauere nihil praeter naturam prae leuem atro-rubentem inflammationem et duodenum cum ieiuno summo intense sanguinea inuenimus.

## §. XXIII.

In experimentis WEPFERIANIS felis a coccularum drachma vna, post celerrimam respirationem, tremorem, spumam ex ore profluentem et conuulsiones, extincta est, reliquis subiectis minus funesti fuerunt. n) Coccularum grana III. ad IV. sumta naufeas & syncopen excitare, refert LOHN HILL. o)



## CAP. XI.

DE

## OLEO ANISI.

## §. XXIV.

## EXPERIMENTVM I.

D. XXIX. Apr. hora pomeridiana I. Columbo adulto olei Anisi distillati guttulae circiter XV. partim

n) Cicut. aquat. Cap. XII.

o) History of the Mat. med. p. 504.

ori instillatae, partim vertici denudato inficatae fuerunt. Paulo post tenacissimum viridem mucum quinques vomitu reddidit, magnis laboribus et aliquoties frustraneis. Aeger deinde quieuit in cubiculi angulo, et excrementis liquidis se copiose exonerauit. Hora eiusdem die V. denuo grana XX. exhibita sunt eodem modo. Secuti sunt conatus ad vomendum, conuulsusque est paulo post, et per cubiculum preeceps volitauit. Deinde consedit stupidus aliquandiu, et attractis artubus soporosus, quasi pedibus vti vel alis vix posset, vix etiam caput sustinere valeret; simul quoque inhorruit. Magis magisque dein impotentia artuum creuit, versus noctem immobilis iacuit in uno latere, vix artubus vtebatur, et prima nocte sopitus est. In cadavere altero die aperto sanguis copiosus circa cor fluidusque reperiebatur: Vasa intestinorum multo sanguine erant farta: In pyloro et duodeno maculae inflammatoriae visebantur; in ieuni summa parte inflammatio, et guttulis sanguineis tunica mucosa variegata: Pharynx leuiter inflammatus, magis prolobi sacci, vbi muco destituti, et summopere fundus prolobi et oesophagi superior pars. Alias omnia sana. Cerebri vasa sanguine repleta, ventriculi autem siccii.

#### EXPERIMENTVM II.

D. XXX. Apr. tempore meridiani Columbae adultae ieunae eiusdem olei scrupulos duos ori instillaui. Statim nisus vomendi exseruit sine excretione. Nondum horae quadrante elapsa in latus decubuit, pedibus impos insistere, et hora a meridie prima

ma enecata est. Ex ano post mortem effluxit liquor flauus, limpidus; ex ore turbidus fluidusque et flauescens, oleo exhibito mixtus. Relaxata erant membra. Calidam secui. Circa cor sanguis ater semiconcretus constiterat, coagulatus in hepatis vasis: Intestinorum vasa fluido sanguine turgebant: Prolobus in saccorum fundis leuiter inflammatus, continebat lympham et innatantes olei maculas, floccosque muci albi. Reliqua omnia sana. Vasa cerebri sanguine vix plena; ventriculi lympha parca irrigui.

### §. XXV.

Experimenta faciendi circa hoc oleum, occasionem mihi dedit locupletissima Venerandi Praeceptoris, Excell. VOGELII, *Historia Materiae Medicae*, qua de Aniso agens, Vir Optimus refert, se olim casu fortuito didicisse, oleum distillatum columbas necare, si paucae guttulae ipsorum ori instillentur et capiti infricentur. p) Experimenta mea hanc obseruationem luculenter confirmant. Externam olei infractionem nihil ad rem facere, experimentum secundum testari videtur. An hoc oleum alia quoque animalia enecare valeat, et an cetera olea aetherea idem praestent, experiri alio tempore certe non desinam.

### CAP.

p) p. 161.

**CAP. XII.**

DE

**OLEO SABINAE.****§. XXVI.****EXPERIMENTVM I.**

D. XI. Maii, hora XI. cum dimidia Cato robusto, quem pro fele grauida acceperam, sine ulteriori inspectione, olei Sabinae drachmam instillaui. Saluatio copiosa inde suborta est, et anxietas, pauloque post bis copiosissima vrinae excretio. Sedit dein stupidus atque tremebundus, rostrum quandoque pedibus tergens. Post meridiem iracundus obmurmurauit, et cum alia fele conflixit. Post horam I. vrinam cum sanguine fusco minxit. Postridie, cum adhuc cibum recusaret, strangulatus nihil praeternaturale exhibuit, quam renes sanguine parum turgidos, vesicam vero admodum constrictam. intus papillosum et rugosum, atrisque sanguineis stigmatibus notatam, sanguinis etiam aliquot grumos continentem.

**§. XXVII.**

Animus mihi erat experiundi, an huius olei celebrata abortum procreandi virtus certa sit. Cum autem grauida mea ulteriori inspectione in marem mutaretur, hoc experimentum nihil comprobare potuit. Attamen ex eo didici, quantum sit huius olei virus, et quam caute igitur cum eo agendum sit.

**CAP.**

❧      ❧      ❧

**CAP. XIII.**  
DE  
*SEMINA PHYTOLACCAE.*

§. XXVIII.

**EXPERIMENTVM I.**

**D.** XVII. Maii, hora post meridiem prima, Cani graio, magno, robusto et bene pasto, seminis Phytolaccae cum capsulis, grosso modo contriti, drachmam cum aqua aegre infudimus. Sed vix dimissus ex manibus plurimam eius partem cum fluidiori cibo, nullo fere labore, euomuit. Tristior hinc fuit atque tussit, posteaque bis adhuc vomuit, atque aeger uno loco iacuit. Vomendi nisus hora vespertina X. adhuc perdurabant vehementes, seu potius tussis veluti convulsiva. Tussit etiam altero mane. Nocte vero et mane vrinae enormem copiam reddidit foetentis et flauae. Cibum appetit.

**EXPERIMENTVM II.**

**D.** XX. Maii, cum etiam num subinde tussiret, denuo hora XI, seminis eiusdem contriti drachmas duas cum aqua ingurgitare coegimus. Illico partem eius reiecit, et vehementer tussire coepit, secutis etiam vomitionibus. Meridie aude pastus est, sed hora I. et sequentibus quater copiosissime vomuit, praecedente semper tussi. Altero mane excrementa sanguine obducta excreuit, cum vrina copiosa, crebro-

F

que



que tussit. Sensim euanescebant symptomata, tandemque et tussi liberatus omnino conualuit.

### §. XXIX.

Clarissimus SPROEGEL cani dedit guttulas aliquot succi ex baccis immaturis expressi. Tussitque ille statim vehementer, corpus tremuit, et aliqui, sed parui momenti, motus conuulsui accesserunt. Drachmas postea duas huius succi eidem animali in os infudit, et antea memorati effectus erant multo fortiores, sed post breve tempus restitutum penitus animal nihil amplius mali passum est. q)

### §. XXX.

Omnis quidem virulentiae haud expertem esse hanc plantam, sed minime tamen venenis adnumerari posse, haec experimenta docent. Vi quadam specifica pulmonibus infesta esse videtur: Acrimoniae enim eius tussis ista adscribi posse haud videtur, cum multo acriora venena eiusmodi symptoma haud procreant.

q) IOAN. ADRIAN. THEOD. SPROEGEL *diss. Experim. circa varia venen.* Goetting. 1753. p. 24.



## SECTIO

SECTIO II.  
DE  
VENENIS QVIBVS DAM  
E REGNO MINERALI.

CAP. I.  
DE  
*MERCVRIO PRAECIPITATO RVBRO.*

§. XXXI.  
EXPERIMENTVM I.

**D.** X. Ian. hora meridiana, Cuniculo iuniori, masculo, Mercurii praec. rubri grana X. frustulo folii brassicae obuoluta, digito in os intrudi. Post horam nihil adhuc incommodi pati visus est. Hora II. permulta liquidiuscula depositit excrementa. De brassica oblata nihil deuorauit, ceterum satis vegetus adhuc fuit. Hora III. valde fuit imbecillis, oculis ferre semper instar dormientis clausis. Cum dubitarem, veneno ne, an magis vehementi, cui expositus erat, frigori, id tribuendum sit, in cubiculum bestiam translocaui. Hora V. iterum satis alacris fuit, nullas habuit sedes nihilque euomuit, nihil autem quoque deuorauit. Altero mane mortuum inuenio. Aperatum cadauer foetidissimum spirabat odorem, ac si ante longum tempus mortuum iam fuisset animal. Ventriculus valde erat distentus, multis punctis atro-fuscis notatus: Vasa eius sanguinea in curuatura maiori sanguine

guine atro turgida, in curuatura minori, ad medianam partem vsque, eleganter rubra, qui color autem post breue tempus in atro-fuscum mutabatur. Apertus ventriculus brassica fuit plenus, multis stigmatibus gangraenosis, praesertim ad orificium superius, obfessus. Hepatis lobus sinister, in superficie interna, coloris ex albo sulphurei. Lien atris quibusdam maculis notatus. In intestinis nihil praeternaturale, nisi vasa sanguinea praeter modum turgida. Aperto thorace omnia vasa atro sanguine valde erant oppleta.

## EXPERIMENTVM II.

D. XXX. Apr. hora meridiana Caniculae melleae, iuueni, Mercurii praec. rubri scrupulum cum aqua exhibui. Primum circumcursitauit laete, sed paulo post ex improviso primo Mercurio tintam, dein albam spumam iterato copiose reiecit, persistentibus vomititionibus cum querulo murmure, anhelatione et inquietudine summa, accendentibus subinde horroribus. Postea contracto truncu tristis iacuit toto eo die, redeuntesque passa est subinde conatus vomendi, interdum cum successu, ad horam vsque V. Cibum quoque eo die recusauit, vix butyrum lingens, ad carnes nauseans. Sequenti die praeter diarrhoeam nihil mali reliquum fuit, et postea pristinam omnino sanitatem recuperauit.

CAP.

\* \* \*

C A P . II .

DE

*MERCVRIO PRAECIPITATO ALBO.*

§. XXXII.

EXPERIMENTVM I.


**D.** XX. Febr. hora pomeridiana IV. cum dimidia, Cani molosso, qui praecedente die semen colocynthidis absque effectu acceperat, infudi Mercurii praecip. alb. cum aqua diluti scrupulos duos. Post quadrantem horae nifus vomendi habuit, eiulauit, linguam exseruit, naresque lambit. Paulo post massam albam subuiscidam cum frustis panis euomuit. Post horae quadrantem, et si omnem operam adhibui, ut vomitus cohiberetur, iterum spumam albam cum frusto panis euomuit. Paulo post iterum vomuit. Versus horam VI. aluum deposuit foetidiſſime olentem. Post aliquot minuta iterum excrementa tenuia, fusca, horrenda copia exonerauit. Paulo post nonnihil albae spumae vomuit. Hora VI. cum dimidia tribus vibus mucum spumosum, ex albo flauescentem, magna copia expurgauit. Hora VIII. panem oblatum respuit. Hora X. auide cibum deuorauit, et omnino conualuit.

§. XXXIII.

Etsi hae calces mercurii salinae non adeo virulenta sint, ut mortem facile producant; attamen pru-

-F 3 den-

dentior Medicus ab vsu earum interno abstinebit,  
cum scilicet non desint alia remedia, quibus eadem  
tutius et iucundius efficere valeamus.



CAP. III.  
DE  
*VIRIDI AERIS.*

§. XXXIV.  
EXPERIMENTVM I.

D. XVI. Febr. hora a meridie prima, eidem cani, cui praecedente die Amygdalae amarae exhibitae, ad pristinam sanitatem penitus restituto, Viridis aeris scrupulum dimidium cum aqua inuita infudimus. Illico vehementes ad vomendum conatus passus est, pauloque post spumam niveo-virescentem, pellucidam, euomuit. Conatus persistunt, sed sine effectu. Quadrante horae dimidio elapso iterum eiusmodi spumam, maiorem aeruginis copiam continentem, euomuit. Vehementissimos iterum vomendi nisus habuit, sed nihil nisi aliquid viscidæ spumæ fecutum est. Vrinam paulo post copiose misit. Hora III. cum dimidia omnem cibum et aquam respuit. Hora IV. carnem et ossa molliora deuoravit. Hora V. aquam hausit. Hora fere VII. aquam audiſſime hausit, carnem vero ei oblatam recusauit. Paulo post rediit vomendi nisus aliquoties, et respiratio conuulſiō-tufſiculosa,

siculosa, quae inde a sexta fere cessauerat, leuiori strepitu subinde audito. Hora VII. cum dimidia conatus ad vomendum, sed semper absque omni effectu. D. XVII, XVIII & XIX. interdum rediere nisus vomendi. Tussim illam conuulsiuo-tussiculosam fere sine interruptione passus est, praesertim quando panem deuorabat. D. XX, in eodem adhuc statu fuga sibi consuluit.

### EXPERIMENTVM II.

D. XXVI. Febr. hora VI. vespertina, Cuniculo masculo, aetatis circiter trium mensium, Viridis aeris grana circiter V. ad VI. in f. q. lactis et aquae infudi. Respirationem paulo post cum forti strepitu peregit. Hora X. strepitus iste valde augebatur. Altero autem mane et sequenti tempore vegetus fuit, et appetitum habuit satis validum. Fortassis brassica, quam paulo ante magna copia ingurgitauerat, veneni vires infregit.

### EXPERIMENTVM III.

Die ultimo Martii, hora post meridiem prima, Cani extrario hybrido, masculo, Viridis aeris aquae infusi grana XVI. exhibui. Statim pauxillum spumae virescentis vomitu excreuit. Porro vomere constricta gula prohibitus, hinc anxius decubuit in latus et resurgens confedit, prono ad vomendi nisus capite. Paulo post bis parce similem pituitam eiecit, prohibitus, ut videbatur, retinaculi breuitate. Post horae fere quadrantem frequentes vomendi nisus torquebant miserum; perpetuusque erat anhelitus vehemens, et

et suspiria anxia rauceque murmurantia. Sedebat inter haec demisso capite. Subinde vagiit. Post horam dimidiam abhinc reuisens eum inueni semianimum, in latus prostratum et vix spiritum raro anhebitu ducentem, accedente subinde labore ad vomitum. Os viridi pituita plenum. Oculi clausi. Breui post periit, effluente post mortem lympha rubente seu sanguinolenta. Pulmones, dissecto cadavere, passim fugillati, spuma aereque multo turgidi. In pulmonis dextri exteriori superficie media glandula scirrhosa, tabae aequalis. In corde crux et sanguis ater, copiosus. Ventriculus cibis, praesertim pane, plenissimus, a Viridi aeris minime tintatis: Interna superficies dilute atro-rubebat, et contracta erat in paruulas rugas, villosa inter rugas maiores. Intestina et omnia reliqua fana.

### §. XXXV.

Aeruginem veneni nomen facile mereri, experimenta haec doceri videntur. *Aerugo*, inquit PAVL. DE SORBAIT, propter erosionem et cruciatum spirandi meatus occludit et suffocat. r)

CAP.

r) *Vniuersitatis Medicorum App. de Venen. p. 555.*

## CAP. IV.

DE

## AVRIPIGMENTO.

§. XXXVI.

## EXPERIMENTVM I.

D. XVI. Febr. hora pomeridiana III. Cuniculo adulto, sexus foeminini, pulueris Auripigmenti grana X. cum aqua infudi. Nihil inde mali in eo obseruatum est, nisi forte quod auris dextrae musculus arrector altero die paralyticus visus est, foecumque odor alliaceus.

§. XXXVII.

Auripigmentum nullo modo inter venena locum mereri, profitetur FRID. HOFFMANNVS; siquidem inquit: *Auripigmentum caret sapore acri, neque cuti admotum septicam et psilotram vim exserit, nisi calx viua admixta fuerit. Caret omni draistica purgante et emetica virtute, multo minus animantium vitam destruit, quod frequenti experimento compertum habemus, dum illud non tantum ad drachmam, sed etiam ad unciam dimidiā canibus et felibus sine omni noxa obtulimus, in quibus etiam postero die sectis nulla intra primas vias mutatio conspecta fuit.* s)

CAP.

s) Operum Supplement. II. p. 741.

G

CAP. V.  
DE  
*TARTARO EMETICO.*

§. XXXVIII.  
EXPERIMENTVM I.

D. XVI. Febr. post horam II. pomeridianam eidem Cuniculo, cui praecedente die amygdalae amarae sine effectu oblatae erant, Tartari emetici grana V. cum paucula aqua infudi inuita. Brassicam statim deuorauit et laete habuit vsque ad noctem. Nihilominus altero mane hora IV. mortuus in dextro latere iacuit. Statim tunc cultro anatomico illum subieci, et vidi vesicam vrinariam vrina flava plenam; flatus et foeces in intestinis; vasa ventriculi et intestinorum sanguine vacua; in ventriculo flatus et chymum flauo viridem, hisque remotis passim areas inflammatas foueolasque erosas; hepar pallide rubrum; bilem tenuem subrubicundum; pulmones sanguine vehementer fugillatos, ita, vt atri variegatique apparerent; cordis ventriculos atque auriculas sanguine atro, coagulato, turgidissimos.


§. XXXIX.

Ex hoc experimento apparere videtur, medicamenta emetica, si per vomitum haud eliminantur, lethalia producere symptomata posse.

§. XL.

Memorabile et a nemine, quantum scio, obseruatum phoenomenon ex hisce experimentis didici,  
*Cuni-*

*Cuniculos non vomere, neque enim Nux Vomica, neque Scilla, neque Amygdalae amarae, neque Gummi gutta, neque Mercurius praecip., neque Aerugo, et ne Tartarus quidem emeticus cuniculis meis vomitum excitare potuerunt. In causam huius phoenomeni inquirere, huius loci non est.*



## CAP. VI.

DE

### SACCHARO SATVRNI.

§. XLI.

#### EXPERIMENTVM I.

D. XX. Febr. ante horam II. pomeridianam, eidem cani, qui ante aliquot dies radicem Napelli acceperat, ad pristinam sanitatem penitus restituto, Sacchari Saturni in aqua soluti drachmam infudi. Paulo post aluum depositum. Post semihoram vomuit spumam albam, non tenacem, cum eiulatibus. Hora VI. panem deuoravit et dehinc bene se habuit.

#### EXPERIMENTVM II.

D. I. Mart. hora XI. antemeridiana, eidem cani Sacchari Saturni drachmam in f. q. aquae soluti rursus infudi. Hora vespertina VIII. panem oblatum omnino respuit, ceteroquin satis laete habuit, et die sequenti plane conualuisse visus est.



## EXPERIMENTVM III.

D. VI. Mart. hora pomeridiana II. eidem porro drachmam cum aqua infudi. Paulo post panem deuorauit. Postea sensim extenuatus fuit, ceteroquin satis bene se habere visus est, cibumque appetit, vsque ad d. IX. Hoc enim et sequenti saepe eiulauit, cibum vero adhuc sumfit. D. XI. semper eiulauit, cibum respuit, et sensim sensimque imbecillior factus, isto die, hora pomeridiana II, extinctus est. Aperto cadavere sequentia obseruaui: Vesicam vrinariam contractam, vacuam: Vasa mesenterii sanguine atro turgida: Intestina in quibusdam regionibus inflammatam: Renes, Lien, Hepar, ut in statu sanitatis. Ventriculus erat cibis refarctus, interne subinflammatus: Lobi autem pulmonum, in extremis praesertim oris, permultis tuberculis duris obfessi, et in quibusdam locis sanguine fugillati. Ventriculi cordis eiusque auriculae sanguine atro-rubente, sed tenui et fluido turgebant.

## EXPERIMENTVM IV.

D. I. Apr. mane hora IX. cum dimidia Caniculo meliteo, mari, Sacchari Saturni scrupulum dimidium aqua solutum exhibui. Inquietus inde valde visus ac cibum potumque respuens, breui post spumam viscidam, niueam, satis copiose euomuit, subsecuta continua tussi et conatibus ad vomendum; inter quae sedit demisso capite. Rarescebant post horam X. vomituritiones. Semihora elapsa pauxillum spumae rursus extorsit. Hora XI. subinde tantummodo redibant symptomata, sed prioribus longe mitiora.

Quietus

Quietus ceterum factus est. Hora XI. cum dimidia rediere priores nisus, breui tamen cessantes. Post horae quadrantem aliquantum pituitae albidae euomuit, vix spumosae. Similem copiosorem hora XII, reiecit, post magnos labores. Hora pomeridiana I, escam respuit, aliquando cum horrore, tumque saepiuscule vomituriit. Post horam I. vomuit aliquoties, sed parce. Quieuit hinc ad III. vsque, vbi rediere tormenta. Post horam IV. lacte saturatum panem sumsis impigre. Septima hora vomitu tentatus saepe, cibum tamen oblatum, quamuis parce, cepit. Postea praeter tussim nihil mali sentire visus est.

#### EXPERIMENTVM V.

D. IV. Apr. hora V. pomeridiana eidem pharmaci eiusdem grana fere VI, cum reliqua ex ore expuerer atque nulla vi ad deglutiendum adigi posset. Tussit dehinc vehementius, quam interuallo primi ad IV. Aprilis fecisset. Iugulatus est d. VI. Apr. In sectione nihil memorabile fuit, praeter maculas binas fugillatas atroque rubentes in pulmone sinistro, in lobo nempe superiori et in medio infimi, ad exteriorem utriusque superficiem. Substantia iis locis alte fugillata atque granulis duris (glandulis scirrhosis?) intertexta. Pulmo alter erat integerrimus: Ventriculus intus ad arcum maiorem subinflammatus.

#### EXPERIMENTVM VI.

D. XVII. Maii hora matutina VIII. cum dimidia, Caniculo meliteo, sex circiter annorum, Sacchari Saturni drachmam vnam et dimidiad cum aqua in-

fudi. Clamauit et solutus inquiete circumcursitauit. Post minuta aliquot prima vrinam copiose emisit. Cursitans deinde crebris vicibus vomuit spumam laete rubente sanguine tintam. Horaque IX. magnam eius copiam vna cum graminis glomere vno nisu et vomitu fere vltimo eiecit. Paulo post fluida alii excrementa exigua copia eliminauit. Quieuit hinc vsque versus X, abdomine conuulsue et stertorose respirans. Rediere tum aliquoties singultus et vomendi nisus, secuta paucissima spuma. Hora X. cum dimidia quiritauit subinde. Versus horam XI. pedibus vacillantibus posterioribusque praesertim imbecillisbus incedere coepit, ruetauit cum boatu, conciditque in latus flaccidis collo et artubus. In pedes subleuatus haud diu stare potuit. Interdum piae anxietate sponte surgens ex vno angulo in alterum, aut in aliud conclaue, titubante gressu, corruens statim, ferebatur. Toto temporis spatio conuulsua fuit respiratio, cum captatione aeris aperto vicissim ore, et respiratione anxia. Crescebant symptomata post meridiem. Tum rigidiusculis artubus et frigidus in dextro latere iacuit, clausis oculis aegre captans aerem. Post horam primam extensis artibus placide extinctus est. Ex mortui ore, compresso abdomine, sincerus manabat sanguis fluidusque. Sectione facta postridie vasa subcutanea et omnium maxime infimi ventris, intestinorum ventriculique, etiam minima, sanguine turgentia conspiciebantur. Oesophagus intus rubicundus, in ventriculo et cardia pituita spumescens sanguinolenta, superficies villosa lacerata et abrasa. Materia duodenum copiose impleuerat bile tinteta aut

albida;

albida; duodenum ipsum corrosum et quasi vulnus vnum. Materia ista albida orta erat ex abrasione tunicae villosae et spiculis saturninis albidis. Leuius rubebat inflammatione ieiunum. Ileon liuidum erat et versus finem inflammatum, plenum abraso muco et viuis copiosisque taeniolis. In recto mucus puniceo-sanguineus. Pulmo dexter atro-liuidus effusoque sanguine fugillatus, maculisque albidis varius; sinistri lobus inferior fugillationibus varius, superiores liudi. Cor magnum sanguine non nimis refertum.

## EXPERIMENTVM VII.

D. XIV. Maii hora pomeridiana III. cum dimidia, Caniculo meliteo, annum circiter nato, vegeto, Sacchari Saturni grana V. ex aqua dedi. Vnde laetus fuit ut antea, imo laetior.

D. XV. hora pomeridiana IV. eidem grana X. cum lacte dedi. Tum tussit subinde, ob guttulam forte tracheae illapsam, ructauitque interdum.

D. XVI. hora XII. cum dimidia eidem grana XV. cum aqua infudi, unde nulla secuta symptomata, nisi quod subtristis fuerit.

D. XVIII. hora a meridie prima eidem satis bene pasto Sacchari Saturni scrupulum intrusi, superinfusa aqua. Tristiusculus factus est, et elapso nondum horae quadrante spumae albae magnam vim eru&ttauit, fecutis assutis cibis, quos tamen statim cum ipsius spumae parte iterum abliguriuit. Postea iterum vomuit, iterum-



iterumque maximam eorum, quae reddiderat, partem depastus est.

D. XX. eundem grana XXX. deglutire coegi; ex quo cursitans iterato sternutauit. Tum lactis paullum superbibendum dedi, dein, ligato ore, ne euomeret, eum dimisi. Tremuit vixque elapsis duobus minutis primis spumam albam copiosam, muco purulento mixtam, vomuit bis iterumque cum validissimis corporis vndulationibus. Meridie cibum tamen sumsit, nec male amplius habuit, nisi quod subinde tussiret.

D. XXII. eidem scrupulos duos cum aqua exhibui. Inde post horae fere quadrantem, quo tenipore tristiusculus fuerat, validissime ter aut saepius spumam albam vomitu extrudit, dein bene habuit. Cum post haec aliquoties per diem sine cibo inclusus fuisset et aude postea semper vesceretur, tandem d. XXX. Maii eum obseruaui cibos nauseare, et vix quidquam, praeter aliquot asparagi turiones, quas adamabat, et farciminum intestina, assumere. Post coenam cum tristiusculus esset, subito in gyrum cursitare cum graui latratu coepit. Dein quasi fugiens clamansque per plateam concitatus est, inque domum delatns concidit in latus sinistrum, conuulsionibus correptus est, et cum exspirabundus videretur, subito resuscitatus, toruis oculis circumspicere, denuoque cum clamore fugere, parietibus illidere atque eos scandere coepit, ita ut coecum factum esse inde appareret. In aulam domus tandem sub perpetuis clamoribus veniens, ibidem

dem praeceps in puteum ruit, in quo quiritans circumnatabat. Inde extractus positusque in conclavi haud diu cursitare potuit, curvato sinistrorum corpore. Dein concidit, tumque horrendis conuulsionebus iactatus est. Prima accessio cum clamore, reliquae cum stertore siebant. Oculi semper erant aperi. Accedebat subinde rigida paralyticus pedis unius aut duorum alterorum. Sensus omnis aberat. Mitescebant tandem conuulsiones, et versus horam IV. sub accessionibus rarioribus iterum vacillans cursitare inque omnes latebras sese abscondere tentabat. Vespere debilis atque pede anteriori dextro paralytico iacuit in ventre, capite perpetuo nutans, omni odo- re, visu, tactu audituque orbatus. Atque in hoc sta- tu usque ad primum Iunii permansit: Tum inueni eum in latere iacentem summeque debilem, paralyti- co pede, atque lente et debiliter stertentem; die po- stero tandem mortuum rigidumque. Secto postridie cadavere, bilis magnam vim deprehendi, quae vici- na tinixerat atque anteriorem partem musculi dia- phragmatis penetrauerat, miroque modo dextri pul- monis medium lobum macula ampla infecerat. Cor- pus et praesertim intestina erant exsanguia, haecque nigricantia a contentis. Aperto ventriculo assumta die XXX. Maii omnia integra ibi reperiebantur, amur- ca nigra, subfuscata, liquida, tincta eique innatantia: Intestina omnia et maxime crassa amurca simili cum multis flatibus repleta relaxataque. Reliqua inueni fana.

## §. XLII.

Magna etiamsi copia adsumtum hoc venenum; nunquam tamen mortem statim corpori animalium inferre, sed illud tantum languidum facere, Cl. SPROEGELIVS tradit. *t)* Sed contrarium me docuerunt mea, praesertim sextum cum hoc veneno captum experimentum, in quo a drachma vna cum dimidia post quinque horas canem imperfectum vidi. Refert idem SPROEGELIVS, se primum cani dedisse drachmam dimidiā, vnde aliquoties vomuisset vehementioribus cum conatibus totiusque corporis motibus conuulsis et tremoribus, symptomatibus autem breui cessantibus. *u)* Deinde se dedisse narrat drachmam vnam, postea duas et tandem tres, sed nullum animal inde fuisse iugulatum, ipsa saltem symptomata a maiori dosi parum fortiora quam a minori fuisse. *v)* Et paulo ante inquit, *experimenta ceterum cum Saccharo Saturni saepissime, et maxima dosi repetii, nullum vero aliud effectum, quam in experimentis antecedentibus memoratum, obseruare potui.* De quo nescio quid cogitem!

## §. XLIII.

Haud paucae ceteroquin extant obseruationes, quibus vis deleteria huius veneni comprobatur; quarum nonnullas hic inserere haud incongruum videtur. Quidam iuuenis Studiosus, annos circiter XX. natus, pollutionibus nocturnis saepe vexatus, alioquin sanis-

*t) Disp. citat. §. 31.*

*u) Disp. cit. §. 30,*

*v) §. 31.*

sanissimus, emit a pharmacopoeo drachmas circiter quinque Sacchari Saturni, hocque reiteratis vicibus ad scrupulum vel drachmam dimidiā in cereuisia ante decubitum sumvit. Quo factō paucis praeterlapsis hebdomadibus, cum pallore faciei in atrophiam est coniectus et pertinacissimam alui obstructionem, cum assiduo languore et lassitudine et anxietatibus praecordiorum, sustinuit. Tandem dolores accessere intolerabiles ac circa vmbilicum maxime continue ardentēs, atque lancinantes, cum appetitu prostrato, inextinguibili siti, ructibus et vomitu acido bilioso. Vrina perpetuo turbida cum sedimento crasso quasi sterncoreo excernebatur. Extremitates sensim magis frigebant, et pulsus lento gradu incedebat. w) Sub dulcedine eius quandam acredinem latitare intestinis valde inimicam, profitetur RIEDLINVS, simulque narrat, virginem quandam, quae mania ex utero laborauerat, cuique hoc Saccharum in magna quantitate propterea exhibuerat, inde, malo primario cessante, in tanta ventris tormenta incidisse, ut clamore et euallatu totam domum compleuerit, pinguemque alias et obesam totam ferme consumtam fuisse, variaque medicamenta frustra eam in usum duxisse, donec tandem ad mucilaginem seminum Cydoniorum deuentum fuerit, cuius ope breui omnis dolor euanuerit. x) Lither-

w) vid. SIGISMUNDI TOLCKEMIT diss. de Sacch. Saturn.  
usu et abusu. Lugd. Bat. 1712. §. 22. p. 13.

x) VITI RIEDLINI Lin. Med. A. 1695. Mens. Matis, Obs.  
31. p. 154.

thargyrium eiusdem esse indolis, tristis eorum docuit experientia, qui vino Lithargyrio mangonizato usi sunt. Malignos exhalationum saturninarum effectus quis est qui nesciat? y)

## CAP. VII.

DE

### *TVRPETHO MINERALI.*

#### §. XLIV.

#### EXPERIMENTVM I.

D. XXVI. Febr. hora pomeridiana IV. Feli iuueni, foemellae, Turpethi mineralis scrupulum cum aqua infudi. Sed dum infunderem, bestia praeter omnem expectationem illico extinguebatur. Dubitans, cui casui hoc phaenomenon adscriberem, statim cadauer aperui. Omnia imi ventris viscera sanissima apparebant; aperto autem pectore causa mortis facile occurrebat. Pulmones enim sanguine erant suffusi, atque pharmacum per omnes asperae arteriae ramos vsque ad ipsorum extremitates descenderat. Cum frustulum pulmonis premerem, multa spuma aerea inde exiuit. Oesophagus aliquantum huius phar-

y) vid. BERN. RAMAZZINI *de morbis artificum Diatrib.*  
Cap. V. de figurorum morbis p. 41. seq. IO. ANDR. SE-  
GNERI Disp. de Colica saturn. Metallurg. Resp. I, G. II-  
semann. Goetting: 1752.

pharmaci continebat; in ventriculo autem, qui cibis repletus erat, nihil eius inueniebatur.

### EXPERIMENTVM II.

D. XV. Mart. hora pomeridiana III, Feli adultiori, masculo, infudi Turpethi min. scrupulos duos cum aqua. Paulo post adsumtos antea cibos euomuit. Posthaec sanguis viscida subspumosa ex ore manabat, aderantque saepe vomendi conatus, sed inanes. Hora VI. cibum oblatum recusavit, tristis et imbecillis in dextro latere iacuit, eiulauitque saepe. Hora VII. imbecillitas valde augebatur, et hora dimidia post distentibus pedibus mortuus est. Dislecto cadavere sequentia adnotauit: Intestinum colon valde distentum, stercore atro-fusco, tenui, plenum, interne leuiter inflammatum: Intestina reliqua muco albo valde crasso, intermixtis vesiculis aereis, obducta: Duodenum contractum, rugosum, inflatum, mucum quendam ex albo fuscum continens: Vesicam vrinariam valde contractam, ut nulla fere superesset cavitas: Hepar punctis albis notatum: Vesicam felleam flaccidam, bile subviscida, fulua: Septum intermedium ad cuspidem cordis areola inflammatata notatum: Lobos pulmonum, praesertim in latere sinistro, sanguine sugillatos: Sanguinem cordis atrum crassum. In ramis bronchiorum particulae quaedam Turpethi haerebant.

### §. XLV.

In quibusdam casibus laudabile emeticum præbere Turpethum, sed incertum esse effectum, inse-

quente saepe colica : Noxam vero non in medicamento, sed in praeparatione quaerendam, Celeberrimus Hill tradit. z)



## CAP. VIII.

DE  
SVLPHVRE AVRATO ANTIMONII TER-  
TIAE PRAECIPITATIONIS.


§. XLVI.

### EXPERIMENTVM I.

D. XV. Febr. hora pomeridiana III, Feli adulto, sexus masculini, Sulph. aurat. antim. tertiae praecip. grana XVI. cum aqua infudi. Post horam euomuit massam Sulphure aurato tinctam; ceteroquin bene se habere visus est. Paulo post aluum fluidam cum vrina depositum. Aliquoties postea vomuit et purgauit. Tranquillus dehinc et tristis uno loco se continens, omnem cibum, carnemque adeo, abhorruit. In eodem statu octo omnino dies absque omni cibo permanxit. Deinde primo lactem et demum omne genus cibos iterum appetiit, pristinamque sanitatem recuperavit.

CAP.

z) *History of the Mat. Med.* p. 63.



CAP. IX.  
DE  
C O B A L T O.

§. XLVII.  
EXPERIMENTVM I.

D. XI. Maii, versus tempus meridianum, Cato robusto Cobalti scrupulum ex aqua dedi. Is statim summopere inquietus redditus est, aluum deiecit, vehementer clamitauit et circumcursitauit. Augescente malo corpus tremens iactauit, parietes et obuia quaevis scandere conatus, atque vrinae magnam copiam eminxit. Conuelli tum subinde coepit cum eiulatu, pugnauitque cum alio cato. Post meridiem in latere iacuit, artus agitans seque interdum iactans, amens, viro homine eiulans et cum stertore respirans. Versus horam III. in latere semianimis iacuit, lacefistus clamauit cum aliqua difficultate, periodice conuulsus pauloque post mortuus repertus est, artubus rigidis. In puncto mortis magnam muci purulenti vim excreuit, cum taeniis, quas aluerat, integris. In dissectione pulmones liudi inuenti. Ventriculi cardia et pylorus constricta, superficies atroci inflammatione obsessa. Intestina purulento muco plenissima. Sanguis ater semigrumosus circa cor. Cobalti puluis antro pylori inhaerebat.

§. XLVIII.

Filia quaedam nouercam arsenico rubro, patrem vero et tres forores cobalto occidit. Arsenicum rubrum

brum dedit cum brassica rubra, vnde nouerca inter maximas abdominis tortiones vehementissimosque vomitus paucis post horis mortua est. Pater et forores post assumptum cobaltum inter vehementissima tortina, vomitus et frigidos sudores mortui; pater post horas IX, puella sexennis post VIII. horas, puella duorum annorum cum dimidio, quae tantummodo reliquias pulvis, cui immixtum erat cobaltum, ex olla eraserat, post VI. dies. a)

### §. XLIX.

Neque externe sine periculo hoc veneno uti licet. Foeminae pauperioris filia scabie capitis laborabat, mater, ut malum debellaret ac ulcera sanaret, puluerem cobalti inspersit, vnde filia intra paucas horas miserrime mortua est. Hanc observationem ex praelectionibus III. HALLERI narrat SPROEGELIVS, simulque refert, se in cane scabioso idem experimentum instituisse, eundemque inde effectum expertum esse. b)

a) Act. Nat. Curios. Vol. V. Obs. 102. p. 355.

b) Disp. cit. §. XXVIII. p. 61.



## SECTIO

## SECTIO III.

DE

## VENENIS EX REGNO ANIMALI.

§. L.

**C**um vnico tantum huius regni veneno experimentum capere mihi licuit, scilicet cum  
Cantharidibus.

D. XXI. Febr. hora pomeridiana IV, eidem cani, qui antecedente die Mercurii praecip. alb. scrupulos duos acceperat, sanitate penitus recuperata, pulueris Cantharidum drachmam cum aqua infudi. Hora V. panem oblatum accepit quidem, sed deglutire, propter imbecillitatem vti videbatur, non potuit, ceterum tranquillus in uno loco se tenuit. Hora VIII. valde fuit imbecillis, panem butyro illitum omnino recusans. Sequenti nocte, semper fere miserrime eiulans, ter circiter aluum cum satis magna copia sanguinis depositus. Altero mane sensim debilior factus est. Hora IX: in unum latus decubuit, omni sensatione priuatus, ad omne genus torturae insensibilis, nulla vitae signa praeter respirationem ostendens. In hoc statu manebat usque ad meridiem, et tunc demum placide extinctus est. Aperto cadauere vesica vrinaria deprehendebatur contracta, rugosa, continens vrinae turbidae pauxillum, in fundo areolis quibusdam inflammati notata. Intestinorum totus fere tritus externe rubens, interne aere inflatus, valde in-

I flam-



flammatuſ, in locis quibusdam instar panni atri coloratus. In renibus et hepate nihil praeter naturam vidi. Vesica fellea ad summam rigiditatem diſtenta, bile viscida atro-fulua erat plena: Pulmones sanguine fugillati, inflammati. Ventriculi cordis eiusque auriculae sanguine atro, valde coagulato, turgidissimi.

### §. LI.

Multae de infelici cantharidum uſu extant obſeruationes: Iuuenis quidam, ex deuoratis XII. cantharidibus, doloribus ventriculi, ventris, renum, imo totius corporis, doloroſoque mihi cruento afflictus eſt. c) Miles quidam, a nimio uſu ueneris labefactatus, a vetula quadam ad uenerem excitandam accepit puluerem ex cantharidibus. Paulo poſt dolorem ad vesicam, maxima cum vrinae difficultate et inflammatione penis pati incipit. Medicus consultatus varia quidem tentauit, verum tantien crescentibus doloribus aeger periiit. Aperto abdomen inuenta ſunt vesica, vrethra et renes exulcerata. d) Cuidam viro exhibitae ſunt cantharides: Vnde ab ore ad vesicam uſque cuncta ipſi erodi ſentiebantur, picem aut simile quiddam cedriae ore exſpirauit, dextra praecordia inflammata ſunt, vrinam aegre reddere potuit, imo ſanguinem cum lotio subinde emiſit, ſtrigmenta non ſecus atque dysentericus alio deiecit, fastidia expertus eſt, animo defecit, obortaue vertigine concidit. e)

### §. LII.

c) GUIL. FABR. HILDANI *Obſ. XCIX.* p. 632.

d) vid. IOSEPH. LANZONI *Oper. T. III. Animaduers. XVIII.* p. 478.

e) PETRI FORESTI *Obſeruat. Lib. XXX. Obſ. VI.*

## §. LII.

Neque externus vius semper securus est. Ex adplicatis cuidam ad genu tumore obsessum cantharidibus oriebantur inquietudo, febris, dolor lumborum, renum et totius ventris, cui mox tantus ardor vrinae successit, ut sine cruciatu et eiulatu ne guttulam quidem (guttatim autem et sanguinolenta exstillabat) emittere potuerit. Ablato vesicatorio cesarunt symptomata, ipsoque iterum adplicato redierunt, imo ingrauescebant. f) Sexennis puella, post curatam vrinae incontinentiam fluxiones oculorum doloresque passa, a vesicatorio ad nucham applicato in lethalem incidit diabetem. g)

f) HILDANI Obs. 98. p. 631.

g) Ephem. N. C. Dec. II. Ann. VII. Obs. 86.

## TANTVM.



THESES  
AD DISPUTANDVM PROPOSITAE.

I.

*Anima humana non habet sedem fixam.*

II.

*Quo magis homo sanus est, eo magis ad sui destrucciónem et interitum est dispositus.*

III.

*Scientia botanica Medico necessaria est.*

IV.

*Botanica tutissimam ostendit viam ad cognoscendas plantarum vires.*

V.

*Medicamenta vegetabilia praferenda sunt mineralibus.*

VI.

*Medicamenta simplicia praferenda sunt compositis.*

VII.

*Ad longaeuitatem diaetetica plus confert quam pharmaceutica.*

IN T R A T

VIII.

*Medicamenta a Venenis non Natura, sed Dosis distinguunt.*

IX.

*Non datur unum aduersus omnia venena utile antidotum.*

X.

*Essentia febris consistit in spasio.*

XI.

*Cortex Peruuianus gaudet virtute antispasmodica.*

XII.

*Neque est, neque fuit, neque erit Panacea.*



AD D

*Anima humana*

*Quo magis bonum est in i-*

*Scientia botanica*

*Botanica tutius plantarum*

*Medicamenta*

*Medicamenta*

*Ad longaeuitatem maceuticam*

*Medicamenta stinguit.*

*Non datur visus dotum.*

*Essentia febris*

*Cortex Peruviana*

*Neque est, ne*

A.E.

*restructio-*

*ascendas*

*eralibus.*

*ositis.*

*im phar-*

*Dosis di-*

*ile anti-*

*dica.*

**TIFFEN® Color Control Patches**

© The Tiffen Company, 2007  
Inches      Centimetres

Blue      Cyan      Green      Yellow      Red      Magenta      White      3/Color      Black

